



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 30. S. Sabæ Obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Sæculum VI. cessit, ut Tertiam recitaret. Jeremias
 A. C. 531 Diaconus majoris Lauræ incola unus ex
 Discipulis ipsius dixit: *Pater! cum Im-*
perator omnibus, quæ petis, clementissime
annuat, quare a latere ejus avelleris? S.
 Senex respondit: *Fili! illi quod ipsorum*
est, & nos, quod nostrum est, peragimus.

§. XXX.

S. Sabæ obitus.

- e. 74. Sanctus Sabas acceptis Imperatoris man-
 datis reversus Mense Septembri In-
 dictionis nonæ eodem anno 531. in Pa-
 læstinam pervenit. Contulit se Jeroso-
 lymam, Mandata Imperatoris aperuit, &
 allatas Constantinopoli pecunias in sua
 Monasteria distribuit. Tum Patriarchæ
 & Episcoporum precibus dedit, ut iret,
 eadem Mandata Cæsareæ & Scythopolis
 civibus manifestaret, & effectui dari cu-
 raret. Inde rediit Jerosolymam, ut Sa-
 cra loca viseret, quasi valedicturus, tum
 tandem ad magnam suam Lauram dela-
 tus, paulopost in morbum incidit. Hoc
 comperto Petrus Patriarcha ad eum invi-
 sit, cumque in ejus cellula nihil, quo
 ægrotans refocillari posset, nisi siliquas
 & veteres Dactylos invenisset, Lecticæ
 impositum ad ædes Episcopales deferri
 jussit, ubi manibus suis ministrans ejus-
 dem curam gessit. Viro Sancto Cœlitus
 revelatum, se post pauculos dies moritu-
 rum;

rum; id igitur Patriarchæ aperiens roga-
 vit, ut se ad Cellam suam dimitteret. Pa-
 triarcha volens ei in omnibus morem ge-
 nere, suppeditatis omnibus, quæ erant
 necessaria, ad Lauram suam dimisit. Ibi
 Vir Sanctus in Turri sua exigua decum-
 bens initio Decembris convocatis Lauræ
 Patribus, iisdem Melitam Berytensem
 Abbatem dedit, ipsum hortatus, ut Mo-
 nasteriorum suorum traditiones, quas
 scriptas obtulit, conservaret. Tum cum
 dies quatuor nemini loquens & cibum
 non sumens exegisset, Sabbato nocte im-
 minente petita & accepta Communione
 reddidit animam, quinta Dec. Indictio-
 ne decima Regni Justiniani anno sexto,
 seu anno 531. annum vitæ agens nona-
 gesimum quartum. Dicunt Græci, se
 hodieque in officiis Divinis Ordinem in
 Laura S. Sabæ institutum servare.

Sæculum VI.
 A.C. 531.

Mart. Rom.
 5. Dec.

§. XXXI.

Schisma Alexandrinum.

Ecclesia Alexandrina diu Schismate
 scindebatur. Eutychiani quidem
 dominabantur, sed in duas Sectas divisi
 quarum origo hæc fuit. Cum Severus
 Anti-Patriarcha Antiochenus inde fu-
 gens Alexandriam se recepisset, aliquis
 Monachus ex eo quæsit, an Corpus
 Jesu Christi corruptibile vel incorrupti-
 bile dicendum esset. Severus respondit,
 Patres